sumus nec debemus actionem damnare, quæ per se et ex objecto bona est, et ad bonum proximorum sæpe necessaria. At vero ad denunciationem judicialem nunquam potest per hanc viam procedi, quia forum illud publicum est, et longe diversæ rationis, multaque in denunciatore requiruntur, quæ per viam confessionis repugnant, ut per se clarum est. Quando ergo tale est negotium, ut pœnitens teneatur denunciare judicialiter, cogendus est pœnitens, ut per ipsum id faciat, quia oportet ut ipse sit judici notus, et ut publicam notitiam quantum potest ei conferat; hæc vero obligatio raro continget in peccato complicis, quia nemo tenetur denunciare seipsum, quod faceret, moraliter loquendo, denunciando complicem. At vero in aliis peccatis ubi pœnitens non est socius criminis, vel ubi potest seipsum servare indemnem, sæpe potest hæc obligatio intervenire. Quod si accidat pœnitentem non posse per seipsum denunciationem facere, vel omnino excusabitur, vel si urgeat necessitas boni communis, ut in peccato hæresis, necesse est ut extra confessionem alicui id committat, qui ad judicem id deferat eo modo, quo possit, ut ipse ex officio vigilet, et inquirat prout valuerit.

23. *Solvitur secunda.—An hic usus possit extendi ad alios fines.*—In secunda et ultima confirmatione petitur an hic usus possit extendi ad alios fines. In quo ipsum primum negamus id, quod ibi infertur, posse hunc usum extendi ad exteriorem gubernationem; falsum enim hoc est, tum quia jam declaravimus non posse superiorem antecedenter ordinare confessiones subditorum ad cognoscenda aliena peccata, et illa emendanda; multo ergo minus poterit illas ordinare ad aliam gubernationem externam; tum etiam quia exterior gubernatio requirit notitiam magis exteriorem et publicam; et ideo confessores omnino servare debent quod Sanctissimus Clemens VIII statuit in Decreto de Casuum reservatione pro regularibus, § 4, nimirum, ut caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Addo vero ultimo, prædictum usum cum circumstantiis supra positis non solum posse esse licitum propter spiritualem salutem alterius procurandam, sed etiam propter vitandum aliud magnum nocumentum, aut aliam similem honestam causam ad bonum proximi pertinentem; ut, verbi gratia, si adultera intelligat maritum machinari mortem socio criminis, potest illum per confessorem monere, ut se in tuto collocet. Item si duo fuerunt socii in furto, et unus eorum vicinus morti restituit, potest per confessorem monere complicem, vel ut intelligat se esse jam liberum ab onere restituendi, si alter totum restituit, et partem socio remittit, vel certe ut intelligat partem illam suis hæredibus esse restituendam. Et similes casus possunt facile excogitari, in quibus propter bonum proximorum licitum est uti industria confessoris ad vitanda peccata aliorum, vel nocumenta, quæ ex peccatis provenire possunt, non per viam coactionis, aut exterioris gubernationis, sed per viam consilii, vel secretæ admonitionis, vel occulte tollendo aliquam occasionem moralem, ad quæ omnia notitia prædicta cum licentia pœnitentis, et sufficiens et proportionata esse potest.

DISPUTATIO XXXV.

DE PRÆCEPTO DIVINO CONFESSIONIS.

Hactenus explicuimus quæ necessaria sunt ad legitimum usum confessionis, vel quæ ex tali usu consequuntur, in quibus variæ obligationes et præcepta continentur, quæ, ut in superioribus etiam attigimus, solum obligant veluti quoad specificationem. Nunc ergo dicendum superest de ipso usu confessionis quatenus cadit sub præcepto obligante ad exercitium ejus, quod præceptum duplex est, aliud divinum, aliud Ecclesiasticum; hoc posterius declarabimus in sectione sequenti; hic de priori videndum est, an sit, et quas personas, quando, et ad quid obliget.

SECTIO I.

Utrum confessio sit jure divino præcepta.

1. *Sententia quorumdam, confessionem esse de jure divino naturali.— Reprobatur.*—De necessitate confessionis quatenus est medium ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi, diximus supra in principio materiæ de hoc sacramento; quæ omnia valde connexa sunt cum hoc præcepto; quia sine illo non posset confessio esse medium necessarium, neque e converso præceptum separatur a medio necessario. Tamen, quia hæc ipsa connexio non est adeo evidens, et hæ necessitates formaliter diversæ sunt, non potuimus hanc quæstionem omittere, in

qua non repetemus ea, quæ ibi dicta sunt, sed alia addemus. Igitur eisdem fere modis in hac qnæstione quibus in illa erratum est. Primo enim dixerunt quidam confessionem esse de jure divino naturali, fortasse quia ante Christi adventum scriptum erat Eccl. 17: *Ante mortem confitere*, et Isaiæ 43: *Dic tu peccata tua, ut justificeris*, et Psalm. 31: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. Referuntur pro hac opinione Petr. Oxomensis, et quidam Juristæ. Est tamen vana et erronea sententia, si intelligatur de confessione sacramentali, cum constet sacramentum hoc non esse de jure naturæ. Si vero intelligatur de confessione exteriori facta coram homine vel hominibus, sic nulla ratione probari potest de hac esse latum naturale præceptum, quia ex nullo principio naturali inferri potest, ut supra tractando de virtute pœnitentiæ latius dictum est. Neque testimonia Scripturæ citata ad rem faciunt; nam primum optime intelligitur de confessione laudis divinæ; quod si ad confessionem peccati illa verba referamus cum August., serm. 8 de Verbis Domini, intelligenda sunt de confessione interna per recognitionem et detestationem peccati apud Deum. De qua etiam loquitur David in ultimo testimonio. Et eodem modo exponi possent verba Isaiæ, si recte citarentur; tamen ibi non dicitur, *Dictu peccata tua*, sed, *Narra, si quid habes*. Unde sensus esse videtur, si habes aliquam excusationem, qua justificeris, narra illam; ac si diceret, cum revera nullam habeas, recognosce peccatum tuum; atque ita in re in priorem expositionem incidimus; cætera de hoc puncto videantur in comm. art. 7, q. 84.

2. *Sententia quorumdam, confessionem esse de jure divino legis veteris. — Improbatur.*— Secundo, dixerunt alii confessionem fuisse de jure divino legis veteris, et Christum Dominum non dedisse in hoc novum præceptum, sed specialem modum prioii addidisse. Ita significat Hugo de S. Victor., lib. 2 de Sacramentis, p. 14; et Waldensis, tom. 2 de Sacram., c. 135; et Guillelm. de Rubione, in 4, d. 14, q. 1. Divus etiam Thomas, dict. art. 7, q. 84, ad 2, dicit, pœnitentiam quoad confessionem exteriorem peccati habuisse aliquam determinationem in lege veteri. Verumtamen satis declarat, illam determinationem longe diversam fuisse ab illa de qua nunc agimus; atque adeo, si aliquod tunc fuit de hac re præceptum, potius fuisse de offerendo aliquo sacrificio pro peccato, in quo includebatur quædam recognitio, et generalis confessio peccati, de qua sæpe fit mentio in lege veteri, præsertim Levit. 16, et Num. 5. At illa confessio non erat sacramentalis, neque de internis peccatis, neque per se ordinata ad internam justificationem de peccatis; et ideo nec præceptum eo tempore latum ejusdem rationis est cum præcepto, de quo nunc agimus, quamvis dici possit fuisse tanquam umbram et figuram illius; nec fortasse auctores citati aliud voluerunt; locuti enim videntur de confessione valde generatim; nos autem agimus de propria confessione sacramentali, et præcepto ejus.

3. *Tertia sententia. — Non esse præceptam a Christo.* — De hac igitur confessione est tertia sententia extreme contraria, quæ negat, etiam in lege gratiæ datum esse a Christo Domino proprium divinum præceptum hujus confessionis. Quam sententiam non solum docent hæretici hujus temporis, dicentes præceptum hoc esse inventum humanum, solumque esse introductum in Ecclesia a tempore Innocentii III; sed etiam graves Theologi, Hugo Victor., Alexander Alensis, et Bonaventura, supra dicta disputatione relati, cum negent confessionem esse expresse institutam a Christo, a fortiori negant esse præceptam. Fundamentum esse potest, quia ex nullo loco Novi Testamenti hoc præceptum satis colligitur, neque etiam ex traditione. Prior pars constabit discurrendo per singula loca, quibus hoc probari solet, quod statim faciemus; posterior vero pars probatur, quia ex decretis antiquis solum habemus leges Pontificias, quas disputatione sequenti tractabimus; ante illas vero solum constat fuisse semper in Ecclesia usum confessionis. Quod autem fuerit etiam præceptum, nullo certo indicio ostenditur, et quamvis fuisset tunc tale præceptum, potuisset esse Apostolicum, et non divinum; ergo cum præcepta non sint asserenda sine sufficienti promulgatione et probatione, merito negatur tale præceptum divinum.

Assertio.

4. *Hoc præceptum esse latum a Christo Domino.* — Nihilominus dicendum est, a Christo Domino latum fuisse divinum præceptum obligans fideles, qui post sacramentum baptismi susceptum mortaliter peccarunt, ad usum sacramentalis confessionis, seu (quod idem est) ad sacramentum pœnitentiæ susci-

piendum in remedium seu remissionem talium peccatorum. Hæc assertio absolute jam est de fide; fuitque antiqua fere omnium Theologorum opinio cum Magistro, in 4, d. 16 et 17, ubi D. Thom., q. 2, art. 1; Richard., art. 2, q. 1; Palud., q. 2, art. 2; Durand., q. 8; Scotus et Gabr., q. 1; Adr., q. 2 de Confess.; Medin., Cod. de Confess., q. 2; Sot., d. 18, q. 1, art. 1; Cano, Relect. de Pœnit., p. 5; Pet. Sot., lect. 1, 2 et 3 de Confess.

5. *Probatur assertio ex variis Scripturæ testimoniis.* — Probari autem solet primo variis Scripturæ testimoniis, quæ minus efficacia sunt, ut est illud Matth. 4: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*, et illud Lucæ 13: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Sed hæc et similia per se sumpta solum probant generalem necessitatem pœnitentiæ, et nunc indifferentia sunt ad pœnitentiam requisitam ante vel post baptismum, ut sensit etiam Concilium Trident., sess. 14, c. 1. Addi etiam solet illud Lucæ 17, ubi Christus dixit leprosis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, et illud Matth. 16: *Quodcunque ligaveris super terram*, etc., et Matth. 18: *Quæcunque alligaveritis*, etc., et illud Joannis 5: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, scilicet, ut homini, quod judicium ipse suis ministris commisit. Verum hæc non cogunt. Nam in primo loco ad summum est mystica quædam adumbratio futuræ confessionis; ad litteram vero Christus agebat de quodam præcepto legis veteris implendo ab illis leprosis. In secundo vero et tertio testimonio solum est promissio quædam facta Petro et Apostolis, quæ postea impleta fuit, et ex illis tantum locis non constat, ibi fuisse specialiter promissam potestatem remittendi peccata in hoc sacramento. Nam in primo loco specialiter promittitur Petro suprema potestas Pontificia; in tertio vero est sermo de potestate ligandi et solvendi per censuras. Et præterea, quamvis demus ibi fuisse contentam promissionem hujus sacramenti, seu potestatis quæ in illo exercetur, non statim infertur fuisse datum præceptum confessionis. Quod si quis contendat, saltem fuisse ibi insinuatum fuisse ferendum, eatenus hoc esse potest probabile, quatenus in illis verbis, quibus illa promissio quoad hanc partem impleta est, continetur tale præceptum; et ideo in illis potius verbis faciendum esset fundamentum. In quarto autem testimonio non est sermo ad litteram de judicio peccatorum in foro pœnitentiæ, sed de judicio finali, quod Christo Domino commissum est de omnibus operibus, et de ultimo præmio vel supplicio illi debito.

6. His adjungi solet probabilior locus ex Jacobi 5: *Confitemini alterutrum peccata vestra;* illa enim verba de sacramentali confessione Beda ibi et alii exponunt, et necessitatem ejus inde colligunt Hugo Victorinus et Alensis ac Bonaventura supra, qui, licet non asserant esse præceptum divinum, dicunt tamen ibi fuisse aliquod præceptum a Jacobo promulgatum. Imo et Concilium Cabilonense tempore Caroli Magni, c. 33, dicit, ibi esse sermonem de confessione facienda sacerdoti, et addit illa obscura verba: *Secundum constitutionem Apostoli*, quæ pie exponenda sunt, id est, secundum institutionem ab Apostolo memoriæ mandatam, seu promulgatam. Denique D. Aug., lib. 2 de Visitatione infirmorum, c. 4, eodem modo exponit hunc locum, ex eo colligens necessitatem confessionis. Quapropter non censeo hunc locum contemnendum, quamvis in rigore non omnino convincat, tum quia ibi nullum est verbum, quod in omni proprietate præceptum indicet, nam illud, *Confitemini*, posset esse consilium, sicut illud, *Orate pro invicem;* tum etiam quia non videtur Jacobus loqui de confessione facienda sacerdoti, sed alterutrum, id est, mutuo et ad invicem, prout fit in fraterna et familiari correctione, in qua homo non debet esse protervus, nec nimium excusare peccata sua, sed humiliter confiteri, juxta illud Proverb. 28: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sed de hoc loco Jacobi iterum redibit sermo, cum de ministro disputabimus.

7. *Proprius locus ex quo hoc præceptum colligitur.* — Ultimus ergo et præcipuus locus, ex quo præceptum hoc colligitur, est Joan. 20, in verbis illis: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ut autem ex illis verbis præceptum colligatur, supponendum est ex dictis in superioribus, ibi esse institutam confessionem, ut partem necessariam sacramenti pœnitentiæ, sine qua non possunt sacerdotes exercere potestatem remittendi et retinendi peccata in eo loco ipsis concessam. Quam fuisse universalis Ecclesiæ perpetuam intelligentiam et collectionem docuit Concil. Trident., sess. 14, c. 4.

8. *Duobus modis posse colligi hoc præceptum. — Objectio. — Solvitur.* — Hoc autem

supposito, duobus modis potest inde colligi hoc divinum præceptum. Primo ex utilitate sacramenti pœnitentiæ ad remissionem peccati obtinendam; nam supposita institutione, et efficacia ejus ad hunc effectum, evidens est susceptionem hujus sacramenti esse utilissimam ad veniam peccatorum cum majori fructu, et (quod magis ad rem præsentem confert) cum majori certitudine et securitate obtinendam. Hinc vero ipsum divinum jus naturale videtur obligare hominem ad utendum hoc medio pro remissione peccati obtinenda, quia ipsa charitas obligat in re tam gravi ad utendum remedio faciliori et utiliori. Si autem hac ratione obligatur homo ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, eadem obligatur ad confessionem, sine qua sacramentum illud perfici non potest. Ita conatur intelligere hoc præceptum Scotus supra. Quod si quis objiciat, quia non tenetur homo utiliorem aut tutiorem viam semper eligere, alioqui etiam teneretur ex hoc divino jure ad frequenter confitendum et ad asperiorem vitam eligendam, responderet fortasse Scotus, quando major utilitas solum est in majori fructu seu effectu, eam non cadere sub præcepto; quando vero agitur de periculo æternæ damnationis, et major utilitas medii consistit in majori certitudine, quæ tollat morale dubium, quod in hujusmodi remedio intervenire potest, tunc charitatem saltem propriam obligare ad utendum tali remedio. Ita vero est in præsenti, quia pertingere ad veram contritionem difficile est, et moraliter dubium; ideoque instituto remedio confessionis, quo certum est suppleri defectum contritionis, si fortasse interveniat, ratio charitatis videtur obligare hominem, ut saltem in extrema necessitate hoc remedio utatur, etiam secluso omni alio speciali præcepto.

9. Atque hoc modo explicata hæc deductio Scoti non videtur mihi improbabilis, saltem quantum ad inferendam obligationem extrinsecam charitatis pro articulo mortis. Nihilominus tamen etiam illa esset satis incerta, si per se non esset latum præceptum de usu confessionis, quia illa incertitudo contritionis, et major certitudo, quæ per absolutionem additur, non videtur esse tanta, ut propter eam solam rationem obligetur homo ad actum difficilem confessionis, si alias non est per se præceptus; maxime cum in ipsa etiam absolutione possit esse incertitudo, vel de intentione sacerdotis, vel de jurisdictione, vel etiam an sit verus sacerdos aut baptizatus; et aliunde potest homo facere quantum in se est ad contritionem habendam; quæ, si habeatur, est certissimum remedium, et per se sufficiens, ablato præcepto confessionis. Et de illa potest esse experimentalis quædam cognitio, quæ, licet non sit omnino certa, tanta sit, ut sufficiat humano modo ad pacem et quietem conscientiæ, sicut ante institutionem hujus sacramenti sufficiebat. Et præterea (quod ad rem maxime spectat) hæc obligatio est valde extrinseca; et non esset ex speciali ac positivo Christi præcepto, sed ex naturali lege charitatis, supposita solum institutione hujus sacramenti. Nunc autem certum est, non solum fuisse a Christo institutum hoc sacramentum, sed etiam speciale præceptum latum de usu illius.

10. *Secundo. — A priori colligitur.* — Alio ergo modo colligendum est hoc præceptum ex illis verbis, quia in illis non solum utilitas et efficacia, sed etiam necessitas hujus sacramenti continetur, necessitas (inquam) medii ad remissionem peccatorum obtinendam. Quod supra demonstratum est, disput. 34, sect. 2; ex illa enim necessitate evidenter infertur hoc divinum præceptum, vel a priori, ut quidam volunt, inter quos videtur esse Cano, Relect. de Pœnitent., part. 5, vel saltem a posteriori, ut alii volunt. A priori quidem, quia media necessaria ad salutem, quæ consistunt in nostris actibus liberis, cadunt sub præcepto, ut supra ostensum est, cum de præcepto contritionis ageremus; sed Christus instituit hoc, ut medium necessarium ad salutem; ergo hoc ipso cadit sub præcepto; et dicitur hic discursus a priori, quia hæc causalis vera est: Hoc præcipitur, quia est medium necessarium. Neque ex hoc discursu infertur solum præceptum charitatis, quo homo tenetur salutem propriam quærere, sed etiam præceptum justitiæ, quo tenetur homo satisfacere Deo pro culpa, seu injuria illata, quod est proprium præceptum pœnitentiæ. Fitque deductio hoc modo: nam homo tenetur satisfacere Deo pro peccato modo præscripto ab ipsomet Deo, ut supra etiam disputando de præcepto contritionis declaravi; sed in lege gratiæ instituit hoc sacramentum, seu confessionem peccatorum, ut unicam et necessariam viam ad satisfaciendum Deo pro offensa, et ad applicandum ex Christi satisfactione quidquid homini ex parte sua deest ad satisfactionem condignam; ergo talis modus pœnitentiæ seu satisfactionis consequenter cadit in divinum præceptum.

11. *Colligitur a posteriori.* — A posteriori autem colligitur hoc præceptum ex necessitate hujus medii, nam tale est, ut natura sua non sit necessarium ad remissionem peccatorum, ut supra ostensum est; ergo hæc necessitas medii oritur ex libera voluntate Dei; non potest autem oriri, nisi ex præcepto; ergo ex necessitate hujus medii optime infertur præceptum, non tanquam ex causa, sed tanquam ex effectu; nam, juxta hanc sententiam, non ideo hoc medium præceptum est, quia est necessarium, sed e converso, quia præceptum est, ideo est necessarium. Minor probatur, quia nunc homo justificatur per contritionem ante realem susceptionem hujus sacramenti; si ergo non esset homini præceptum confitendi impositum, post contritionem nullo modo esset illi necessaria confessio ad salutem; quia, si non esset illi præcepta, etiamsi voluntarie illam omitteret, salvaretur, quia non peccaret. Ex quo ulterius sequitur, neque in ipsa contritione posse includi necessario votum confessionis, secluso præcepto; quia hoc ablato, posset homo voluntarie omittere confessionem; ergo posset conteri sine voto confessionis; imo cum voto et proposito nunquam confitendi, quia hoc tunc non esset peccatum, cum non esset contra præceptum et consequenter non impediret veram contritionem. Igitur necessitas hujus medii supponit præceptum, ex quo oriatur.

12. *Dubium, an eadem ratio possit esse a priori et a posteriori.* — Sed quæret aliquis, quid horum verius sit; non enim videtur utrumque simul stare posse, quia non potest eadem ratio esse simul a priori et a posteriori. Respondetur, in diversis generibus causarum hoc non repugnare, sicut alias dici solet in principio libri 2 de Anima, de demonstratione, qua Aristoteles unam definitionem animæ per aliam ostendit. Igitur in genere finis vere dici potest, datum esse præceptum confessionis, ut illa constitueretur medium necessarium ad salutem; nam ut supra etiam tetigimus agentes de necessitate hujus medii, hoc præceptum non est sicut alia, quæ dantur de actibus, qui per sese non habent aliam vim ad causandam salutem, vel remissionem peccati, nisi quod præcepta sunt; et ideo eatenus tantum necessarii sunt ad salutem, quatenus sunt necessarii ad desistendum a peccando, non vero quia contineant remedium peccati; præceptum autem de hoc sacramento datum est tanquam de actu continente in se remedium salutis, et causam remissionis peccati. Ut autem tale remedium esset unicum et necessarium, sub præceptum positum fuit; et ita ex necessitate medii in genere causæ finalis a priori infertur necessitas præcepti. In hoc vero sensu dici non poterit, quia hoc est medium necessarium, ideo esse præceptum; sed dicendum est, ut hoc esset medium necessarium, fuisse præceptum; hæc enim posterior locutio indicat causam finalem, prior vero potius formalem, vel efficientem. Sicut non recte dicitur homo curari, quia est sanus, sed ut sanetur. At vero in genere causæ efficientis vel formalis videtur hæc probatio a posteriori; nam causa per quam hoc medium constituitur in ratione necessarii, videtur esse præceptum, non quia solum præceptum conferat hoc totum, scilicet, rationem medii necessarii, sed quia supposita in tali actu ratione medii, seu causæ sufficientis, præceptum det illi necessitatem; hoc enim videtur convincere ratio facta.

13. *Objectioni occurritur.* — Nisi quis fortasse velit duo distinguere in hoc negotio, scilicet, ordinationem, qua Deus voluit præscribere hanc viam confessionis, ut integram satisfactionem, quam nunc a fidelibus requirit de peccatis suis, et præceptum de tali satisfactione exhibenda; ita ut prior sit positiva ex libera Dei voluntate, ex illa vero præceptum necessario et quasi naturaliter consequatur, ratione justitiæ, ut paulo antea, et supra etiam de contritione dicebamus. Difficile autem est illam priorem ordinationem a præcepto positivo separare, ut ibidem dixi; quia, si ex vi illius ordinationis non statuitur, ut nemo possit beneficium remissionis peccatorum consequi sine confessione in re exhibita, non potest intelligi, quod ex vi illius ordinationis requiratur ut necessaria, etiam post remissionem per contritionem factam, nisi talis ordinatio includat obligationem præcepti, non tantum consequentis, sed constituentis, et causantis talem necessitatem; hoc enim plane videtur convincere ratio facta. Neque enim dici potest hoc præceptum esse consequens ad illam ordinationem, eo quod, illa posita, non remittitur peccatum per contritionem, nisi homo obligetur, aut se obliget ad postea supplendum in tali satisfactione quod tunc deest; quia nec dicendum est, hominem tunc denuo sese obligare promissione sua, nec Deum exigere tunc, aut imponere hanc specialem obligationem, frustra enim et sine fundamento hæc dicerentur; ergo dicere oportet illam obligationem relinqui ex generali præcepto confessionis in tali ordinatione incluso, ac necessario, ut efficax sit. Atque hic modus explicandi connexionem harum necessitatum, videtur verior et sufficiens ad explicandam vim dictorum verborum, et declarandum, quomodo præceptum hoc mere positivum fuerit, pendens ex Christi voluntate.

14. *Colligitur ex consuetudine Ecclesiæ.* — Huic fundamento, quod potissimum est in hac materia, adjungi potest aliud sumptum ex usu et traditione Ecclesiæ. Quod etiam indicavit Concilium Tridentinum, et colligi potest ex antiquissimis Patribus, qui absolute dicunt confessionem esse necessariam, non referentes hanc necessitatem ad Ecclesiam, sed ad Christum, quos supra dicta disputatione sufficienter retuli; tamen hic etiam addere oportet, hanc necessitatem non esse separabilem a præcepto, ut declaratum est. Colligi etiam potest ex historiis, ex quibus habemus quidem perpetuum et antiquissimum usum confessionis. De quo legi potest Eusebius, libro 6 Historiæ, cap. 25; Cyprianus, epist. 10, 11, 15 et 26; et Dionysius Alexand., apud Eusebium, lib. 6, c. 29, et alia, quæ supra retulimus agentes de necessitate medii. Non tamen potest ex historiis sufficienter colligi semper hoc fecisse fideles ex obligatione præcepti, multoque minus invenietur in illis expressum, id fuisse ex obligatione juris divini; tamen, cum res semper fuerit tam ardua atque difficilis, non est verisimile absque obligatione et præcepto tam generaliter fuisse susceptam et observatam; imo neque humana auctoritate esse introductam hujusmodi obligationem. Unde in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, in quo Græci et Latini Patres convenerunt, præceptum hoc non fuit de novo Ecclesiæ impositum, sed solam temporis determinationem accepit; cujus signum est, quia, cum obligatio sit gravissima, et se extendat non solum ad externos actus, sed etiam ad internas cogitationes confitendas, facile ab omnibus suscepta est. Denique, nullo modo expediebat Ecclesiæ, ut res tanti momenti tamque necessaria ad hominum salutem, eorum arbitrio relqueretur; neque etiam expediens fuit hoc præceptum Ecclesiæ committere, tum quia erat de re omnino necessaria ad salutem peccatorum; tum etiam quia oportebat hujusmodi præceptum omnino fixum et immutabile permanere.

15. *An Ecclesia possit hoc præceptum tollere vel mutare.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Unde obiter expeditæ manent nonnullæ quæstiones, quæ ab aliis Theologis solent tractari, scilicet, an possit Ecclesia tollere aut immutare hoc præceptum, aut in illo dispensare. Dicendum est enim non posse, quia jus divinum est, in quo non potest Ecclesia dispensare, nedum illud abrogare, ut latius traditur in 1. 2, q. 97, et in hoc conveniunt omnes Theologi, in 4, dist. 17, loquentes de hoc præcepto, quatenus divinum est; nam de determinatione adjuncta ab Ecclesia, postea dicemus. Solet vero objici, quia interdum Papa dispensat in aliquo jure divino, ut in voto, matrimonio rato, ministro confirmationis, et similibus. Sed hæc generalia sunt, et ad alias materias spectant, et ideo breviter dicitur primo, in illis casibus non esse proprie dispensationem in jure divino, quia in duobus primis tollitur vinculum humana voluntate contractum, et quatenus ibi intercedit aliquo modo humana voluntas, eatenus potuit ibidem habere locum humana dispensatio. In tertio vero casu ipsa divina institutio ita facta est, ut confirmationis sacramentum unum haberet ordinarium ministrum, scilicet Episcopum; alium vero extraordinarium auctoritate Summi Pontificis designatum. Secundo dicitur, esto in aliquo raro casu data sit potestas Ecclesiæ dispensandi in aliquo præcepto juris divini, vel potius interpretandi, non fuisse Christi Domini voluntatem obligare tali præcepto in aliquo eventu, in præsenti tamen præcepto hoc non habere locum, quia est de re simpliciter necessaria ad salutem; et quia nunquam potest expedire hujusmodi dispensatio, neque pro communitate, neque pro aliqua particulari persona. Nam, si per impotentiam excusetur, non indiget dispensatione; si autem confiteri potest, et tempus necessitatis urget, talis dispensatio non esset in ædificationem, sed in destructionem. Propter quas causas non potest Ecclesia dispensare in præcepto baptismi; eadem autem est de hoc, seu proportionalis ratio.

16. *An posset Ecclesia ferre hoc præceptum, si non præciperetur a Christo.* — *Fundamentum.* — *Reprobatur.* — Inquiri vero solet hoc loco, si hoc præceptum non esset a Christo impositum, an potuisset Ecclesia illud ferre; nonnulli enim Theologi putant esse sufficiens signum hujus præcepti divini, quod de facto in Ecclesia invenitur, quia Ecclesia per se non potuisset hoc præceptum introducere. Ita sentiunt Scotus, dist. 17, q. 1; Du-

rand., q. 8; Palud., q. 2, art. 2; Soto, d. 18, q. 1, art. 1; Cano, dicta Relectione, part. 5; Navarrus, de Pœnit., d. 5, in principio, n. 18 et sequentibus. Fundamentum hujus sententiæ est, quia Ecclesia non habet immediatum jus in actus mere internos, ut infra tractando de censuris latius dicemus; sed confessio non solum præcipitur de actibus externis, sed etiam de mere internis; imo, licet aliquis habeat tantum hæc peccata mere interiora, præcepto confessionis obligatur; ergo non potuit Ecclesia hoc præceptum imponere quoad substantiam ejus. Hæc vero ratio non omnino convincit, quia materia hujus præcepti non est actus interior, sed exterior, scilicet receptio cujusdam sacramenti a Christo instituti, quod sacramentum in actibus exterioribus consistit; et quamvis requirat aliquem interiorem actum, nempe contritionem vel attritionem, non excedit Ecclesiæ potestatem, præcipere simul cum exteriori actu interiorem ad illum necessarium. Et eadem ratione non videtur esse supra Ecclesiæ potestatem præcipere confessionem, etiamsi, pro materia circa quam, habeat peccata mere interiora, quia illa non ratione sui, sed ratione alterius exterioris actus pertinent aliquo modo ad tale præceptum. Sicut posset Ecclesia præcipere, publica oratione petere a Deo internam justitiam, seu pœnitentiam fidelium. Itaque ex hoc capite non videtur mihi præceptum hoc excedere potestatem Ecclesiasticam.

17. *Sotus reprobatur.* — Sed addit Sotus, Ecclesiam non posse præcipere sacramenta, sicut non potest illa instituere, alias posset remedia etiam necessaria ad salutem sua auctoritate efficere. Sed hoc argumentum minus firmum est, quia, licet Ecclesia non possit instituere sacramentum aliquod, tamen postquam Christus illud instituit, quamvis ipse non præceperit, potest ipsa præcipere illius usum; quæ est enim in hoc repugnantia? Si enim supponamus, Christum non præcepisse recipere sacramentum confirmationis, cur non posset Ecclesia illud præcipere? aut ordinare, ut nulli detur Eucharistia, nisi prius confirmetur? Sicut nunc ordinavit ut nemini detur prima tonsura, nisi prius sacramentum confirmationis acceperit, in Concilio Trident., sess. 23, c. 4, de Reformat.; item, quia Ecclesia præcipit aliqua sacramentalia, quæ ipsa instituit; cur ergo non potest præcipere sacramentum a Christo institutum? Neque enim propterea sequitur (si formaliter loquamur) Ecclesiam facere aliquid esse remedium necessarium ad salutem, sed solum facere, ut aliquis actus sit necessarius ad salutem necessitate præcepti, quod in multis aliis actibus facere potest Ecclesia. Quia vero supponimus, hunc actum, scilicet receptionem talis sacramenti, esse a Christo institutum in remedium peccatorum, consequenter tunc fieret ex vi præcepti Ecclesiæ ut tale remedium esset necessarium ad salutem, non formaliter in ratione medii, sed in ratione præcepti.

18. *Vera responsio ad quæstionem.* — Quocirca, supposita institutione hujus sacramenti, non video cur repugnet præcipi ab Ecclesia, etiamsi fingamus Christum non imposuisse necessitatem, sed tantum utilitatem præbuisse. Quod melius senserunt Adrianus, q. 2 de Confessione, et Medina, C. de Confessione, q. 2; Viguerius, in Sum., c. 16, § 4, vers. 14; et Scotus revera non contradicit, sed potius in hanc partem inclinat. Ratio juxta dicta est, quia receptio hujus sacramenti non est materia excedens facultatem Ecclesiæ, et alioqui ejus usus est valde conveniens Ecclesiæ; ergo non est, cur Ecclesia non possit ponere tale præceptum, quod de se est valde conforme rationi, et convenienti Ecclesiæ gubernationi. Antecedens patet, quia, si excederet, vel id esset, quia confessio versatur circa actus internos, et hoc non, ut ostensum est; vel quia ordinatur ad internam justificationem, et remissionem peccatorum, et hoc etiam dici non potest, quia hic etiam est optimus finis, quem Ecclesia potest intendere per actus sibi accommodatos, maxime cum per potestatem clavium possit ipsa aliquid operari circa actus mere internos, ut facit in usu hujus sacramenti, et per indulgentias, etc. Vel esset, ut quidam aiunt, quia per confessionem aliquo modo homo se infamat; et hoc etiam nullius momenti est, quia talis infamia fere nulla est, vel propter sigillum, vel quia, si prudens sit confessor, per ipsammet confessionem legitimam quodammodo tollitur. Ac denique quia, licet hoc existimetur aliquale detrimentum, comparatione fructus quasi nihil est. Vel denique esset propter difficultatem; et hoc quidem licet ostendat, tale præceptum esse arduum et difficile, non tamen impossibile, quia sæpe Ecclesia præcipit res magis difficiles, si necessariæ sint, vel valde utiles; in hoc autem præcepto semper esset magna utilitas, qua posset difficultas ipsa compensari. Tandem, si hæ rationes, vel similes validæ essent, fere haberent locum in præcepto annuæ confessionis, ratione cujus sæpius obligatur homo ad confessionem, quam solo jure divino obligatur. Itaque non ideo præceptum hoc latum est a Christo, quia Ecclesia illud ferre non potuisset per generalem potestatem ab ipso datam; sed quia convenientius fuit, ut ipse per se daret, propter alias rationes superius adductas.

SECTIO II.

Quas personas obliget hoc divinum præceptum.

1. *Necessariam esse materiam ut hoc præceptum obliget. — Infantes ante usum rationis non obligari.* — Primum ac per se notum principium hujus materiæ est, ut hoc præceptum obliget, supponendam esse in persona materiam hujus sacramenti, quia alias neque ipsius sacramenti erit capax, nedum obligationis. Unde fit, infantes ante usum rationis non esse capaces hujus obligationis, non solum quia non sunt capaces præcepti, sed etiam quia non habent peccatum actuale, quod est materia hujus sacramenti, et eadem ratione, si quis esset adultus innocens, ut Beata Virgo, non obligaretur hoc præcepto.

2. *Infideles non baptizatos non obligari. — Quorumdam sententia. — Refellitur. — Destruitur fundamentum contrariæ sententiæ.* — Secundo eadem ratione infertur, infideles non baptizatos quantumvis peccatores non obligari hoc præcepto, quamvis multi et graves Theologi in hoc sine causa lapsi sint, ut Scotus, dist. 16, q. 1, art. 1, qui inde colligit præceptum confessionis esse divinum, quia obligat infideles, in quos Ecclesia non habet potestatem, quæ ratio placuit etiam Adriano, dic. q. ult. de Confessione. Et eamdem sententiam tenet Richard., dist. 17, q. 4, art. 2; et Angelus, verb. *Confessio*, 2, § 2; Sylvester, verb. *Confessio*, 2, § 5. Quorum fundamentum est, quia præceptum divinum obligat omnes, ut de præcepto Eucharistiæ, quod infideles etiam obligat. Sed, ut dixi, contraria sententia tam evidenter sequitur ex principio posito, ut hæc mihi improbabilis videatur, quia peccata commissa ante baptismum non sunt materia hujus sacramenti, ut supra probavi; ergo infidelis non solum non tenetur, sed neque potest illa sacramentaliter confiteri, neque ante, neque post baptismum susceptum; ergo non obligantur infideles hoc præcepto, quia non possunt obligari ad confitenda illa peccata, quæ committunt post baptismum susceptum, quæ forte non erunt. Confirmatur et explicatur, quia confessio non est his infidelibus necessaria ad salutem; ergo. Patet consequentia, quia confessio non præcipitur jure divino, nisi quatenus est necessaria. Antecedens vero patet, quia, si isti infideles baptizentur, et postea nullum peccatum mortale committant, salvabuntur sine confessione; unde hoc sacramentum dicitur secunda tabula post naufragium, quia illis solis est necessarium qui post baptismum mortaliter peccaverunt. Unde etiam fit, si infidelis ante baptismum per contritionem justificetur, illam contritionem non includere votum confessionis, sed baptismi, quia solus baptismus est necessarius ex vi talis status; per illum enim plene delentur omnia peccata ante commissa, sine ullo ordine ad confessionem; ergo evidens est hos infideles non obligari præcepto confessionis. Quam sententiam bene docuit Soto, dist. 18, quæst. 1, art. 2; Medin., tract. 2, q. 7; Major, dist. 17, q. 1; Almain., quæst. 1, art. 2. Neque obstat fundamentum contrariæ sententiæ; præcepta enim divina obligant omnes, qui sunt capaces talis obligationis, vel in quibus est materia circa quam versatur præceptum, alias hoc præceptum etiam obligaret innocentes, quod est aperte falsum.

3. *Differentia inter præceptum Eucharistiæ et pœnitentiæ. — Sotus rejicitur.* — Unde colligitur aperta differentia inter præceptum Eucharistiæ et confessionis; quamvis Soto eodem modo de utroque loquatur, et neget præceptum Eucharistiæ obligare infideles, qui nondum per baptismum religionem Christianam professi sunt, sicut præcepta (inquit) alicujus religionis non obligant aliquem, donec illam religionem sit professus, etiamsi prius habeat votum seu obligationem ingrediendi talem religionem. Et confirmari potest, quia ante baptismum non est aliquis capax Eucharistiæ; ergo neque obligationis suscipiendi illam. Nihilominus hæc sententia mihi non admodum probatur; sed non est hujus loci examinare illam, sed solum explicare apertam differentiam inter Eucharistiam et confessionem, scilicet, quod infidelis est capax obligationis præcepti Eucharistiæ, non vero confessionis. Patet, quia ex parte subjecti non requiritur materia peccati ad præceptum Eucharistiæ; nam illud per se et propter se obligat hominem, etiamsi nullum peccatum habeat; et ideo ex hac parte non repugnat, quod obliget infideles; alias vero jurisdictio Christi ferentis tale præceptum ad omnes se

cendit; in quo differt hoc præceptum a particularibus præceptis humanis alicujus religionis; et ideo exemplum illud non est ad rem. Verba etiam Christi, quibus hoc dedit præceptum, generalia sunt, et ad omnes, etiam infideles, dicta: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. Ac denique, quamvis ante baptismum non possit infidelis recipere Eucharistiam, tamen recepto baptismo tenetur illam suscipere, etiamsi ultra non peccet; et ideo etiam ante baptismum obligari potuit ad ipsum baptismum suscipiendum propter Eucharistiam, ita ut duplici ratione ad baptismum obligetur, scilicet, et per se, et propter aliud, et ita potuit recte utroque præcepto obligari. At vero præceptum confessionis non per se et absolute obligat, sed supposita materia necessaria talis sacramenti; hæc autem esse non potest in infideli antequam baptizetur; et ideo non est capax talis obligationis.

4. *Hoc præceptum obligare eos qui post baptismum mortaliter peccarunt.*—Tertio ex dictis colligitur, hoc præceptum obligare omnes illas personas, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt, etiam hæreticos, apostatas, etc., et pueros cujuscunque ætatis, dummodo capaces sint peccati mortalis; ad quod, ut supra dixi, non potest certa ætas designari, sed viri prudentis judicio opus est. Tota hæc conclusio est certa absque controversia inter Theologos, et colligitur aperte ex Concilio Tridentino, supra. Et ratio est, quia mortale peccatum, post baptismum commissum, est materia necessaria hujus sacramenti, ut supra ostendi. Item ipsum sacramentum est medium necessarium ad tollendum tale peccatum, ut supra etiam probatum est, quia jam tale peccatum non potest tolli per baptismum. Intelligendum autem est hoc de peccato mortali, quod nunquam fuit directe subjectum clavibus, nam, si semel rite subjiciatur, illud, per se loquendo, sufficit, neque ex vi juris divini, de quo agimus, obligabitur aliquis ad confitendum, nisi iterum mortaliter peccet.

5. *Non obligari qui venialia commisit.* — Quarto addendum est, solas illas personas obligari hoc præcepto, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt; itaque, qui sola venialia committit, non obligatur. Quæ est etiam communis sententia Theologorum. Et ratio constat ex supra tractatis, quia venialia non sunt materia necessaria, et hoc præceptum non obligat, nisi eum qui talem materiam habet, quia hoc sacramentum non est medium necessarium ad illa peccata tollenda, quæ omnia supra demonstravi, et ex communi usu et consensu totius Ecclesiæ constant, et non obscure indicantur in Trid., sess. 14, c. 5, et can. 7. Occurrebat vero hoc loco dubium, an, qui habet dubiam conscientiam peccati mortalis, obligetur hoc præcepto divino. Sed hoc dubium expediendum est ex principiis positis disputatione de integritate, ubi tractavi, an necessarium sit ad integritatem confessionis, confiteri dubium peccati mortalis; eo enim modo, quo quis obligatur ad confitendum hoc dubium propter integritatem, obligabitur etiam ad confitendum tale dubium, etiamsi nullum aliud peccatum mortale habeat; est enim eadem ratio; illa enim materia, quæ est necessaria ut pars confessionis, si cum alia conjuncta sit, erit etiam per se necessaria, si sola adsit; quocirca præter ibi dicta, nihil hic occurrit addendum.

SECTIO III.

Quo tempore obliget hoc præceptum præcise ut divinum est.

1. Distinguendus est, ut sæpe tractavi, duplex modus, quo potest homo obligari ad actum, qui sub aliquod præceptum affirmativum cadit. Primus est per se ex vi talis præcepti in propria natura et virtute considerati. Secundus est per accidens, seu propter aliud, seu ratione alterius virtutis. Dicam prius de priori modo, deinde de secundo.

2. *Prima assertio.—Neminem obligari statim post peccatum confiteri.* — Primum ergo statuamus ut certum, non teneri hominem qui mortaliter peccat, statim confiteri peccatum, etiamsi commodissime possit. Quanquam contrarium docuerunt Guillelmus Paris., libr. de Sacramentis, tit. de Pœnitentia, et refertur Reinerius, 1 part. Sum., verb. *Confessio*, c. 5; tenet Angelus, verb. *Confessio*, 1, n. 3; et Alensis, 4 part., q. 77, membr. 4, articulo secundo; Bonaventura, in 4, d. 17, art. 4, q. 2, qui maxime religiosis imponit hanc obligationem, quia habent semper optimam opportunitatem statim confitendi. Referuntur etiam pro hac sententia graves Doctores Canonistæ a Covarruvia, in cap. *Alma mater*, p. 1, § 1, n. 6. Sed nihilominus hæc sententia neque est vera, neque, ut ego existimo, admodum probabilis; et ideo omnes alii Theologi illi contradicunt, quos statim referam. Quia tanta obligatio imponenda non

est sine sufficienti et manifesto fundamento; hæc vero sententia nullum habet. Præsertim, quia natura præcepti affirmativi non est statim obligare, sed determinatis seu necessariis temporibus. Ostendimus etiam supra non obligari hominem statim ad contritionem; multo ergo minus ad confessionem. Denique, cum Ecclesia determinaverit tempus annuæ confessionis, satis certe indicavit non esse de jure divino statim confiteri.

3. *Secunda assertio.—Saltem in articulo mortis obligari.* — Secundo certum est, saltem in articulo mortis obligare hoc præceptum, si ante impletum non sit. Conveniunt omnes Theologi, et est evidens ex dictis, tum quia hoc præceptum affirmativum obligare debet saltem in extremo periculo, seu potius articulo necessitatis, qualis maxime est articulus mortis; tum etiam quia hoc præceptum impleri debet in hac vita; ergo ante mortem; ergo, ut minimum, in articulo mortis. Quis autem sit articulus mortis, et quo modo eadem ratio sit de periculo mortis, supra dictum est. Et hinc infertur, si quis habeat copiam confessoris, et sit in eo statu, in quo, si nunc non confiteatur, probabiliter timeat fore, ut ante mortem non possit habere copiam confessoris, ut accidere potest in India, vel aliqua captivitate, in tali casu teneri ad confitendum statim, etiamsi extra articulum mortis sit. Quem casum ponunt omnes Doctores statim citandi, D. Thomas, Paludanus, Adrianus, q. 3 de Confessione; et in re ipsa, ac moraliter loquendo, non est diversus a periculo mortis; ideo enim tunc tenetur prævenire, quia alias exponitur periculo moriendi sine confessione, ut in simili dicemus latius disputatione sequenti. Hic vero tractari consequenter posset, qua ratione, aut modo excusari posset homo ab hac obligatione in eo articulo. Sed commodius hoc dicam disputatione sequenti.

4. *Unde teneantur medici admonere infirmos ut confiteantur.* — *De qua infirmitate intelligendum sit.* — Unum vero hic obiter observandum est occasione hujus obligationis confitendi in articulo mortis, jure positivo præceptum esse medicis, ut cum vocantur ad curandos ægrotos, priusquam curationem corporis incipiant, eos moneant ad confessionem faciendam. Ita habetur in cap. *Cum infirmitas*, de Pœnitent. et remiss. Et quoniam hæc lex consuetudine abrogata erat, ideo Pius V, Motu proprio anno 1566, qui incipit, *Super gregem*, illam renovavit, addendo, ne medici ultra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet per fidem confessoris in scriptis datam. Addit etiam, ut ante gradum Doctoratus exigatur ab illis juramentum hanc consuetudinem servandi, quod ita fit. In qua lege primo notandum est, de qua infirmitate sit intelligenda; nam Sylvester, verb. *Medicus*, quæst. 3, dicit, non tantum in morbis periculosis, sed absolute in omni ægritudine esse servandum, quod cum Archidiacono colligit ex ratione legis, scilicet, ne infirmi, cum de confessione facienda admonentur, existiment se jam esse in periculo, et tristitia afficiantur. Propter quam rationem videtur lex voluisse, ut absolute in omni morbo talis admonitio fieret. Nihilominus Navarrus, c. 25, n. 61, sequens Angelum, et Summam Rosellam, quos citat, dicit hanc legem solum obligare in morbo periculoso, debere tamen servari statim in principio morbi, non expectato periculo, et hoc modo satisfieri intentioni legis, nam in levioribus morbis ridiculum videri potest statim monere ad confessionem. Cajetanus vero in Summa, verb. *Medicus*, media quadam via incedit; quia, si morbus (inquit) talis est, ob quem merito decumbit ægrotus, obligat lex, non vero in aliis. Et hæc sententia bene explicata videtur satis consona intentioni legis, et fere nihil differre a præcedente. Itaque existimo obligare hanc legem in morbo gravi, vel qui prudenter judicatur a medico in principio periculum morale esse ne grave fiat; tunc enim optime procedit ratio legis, et quasi ex natura rei videtur hoc requiri, ut ratio facta probat.

5. *Satisfacere medicum admonendo infirmum.* — Secundo est notandum, hos auctores docere, satisfacere medicum huic obligationi admonendo et inducendo infirmum, non tamen teneri illum deserere, si confiteri nolit, quia hoc videtur repugnare charitati, quod quidem juxta antiquum jus non habet difficultatem. Tamen Pius V videtur amplius præcipere, et hanc imponere veluti justam pœnam ei, qui in illo articulo confiteri non vult. Quia tamen videtur hæc lex sic exposita valde rigida (hoc enim modo constituitur proximus in gravi periculo corporis et animæ), ideo videtur lenienda; nam, si non immineat probabile periculum, potest et forte debet medicus abstinere a curatione ejus, si nolit hanc legem observare; si tamen probabile mortis periculum sit, si illum deserat, et tamen æger pertinax sit, non credo teneri, nec debere medicum illum deserere, quia non